DE

GRAVIDARUM, PARTURIENTIUM ET PUERPERARUM ECLAMPSIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS WAHL

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

OPPONENTIBUS

ED. PFEFFER, MED. ET CHIR. DR.

C. WINZER, MED. ET CHIR. DD.

A. LOEBNER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Opere illo admirabili absolvendo, quo proles tenera a matre sejungitur, natura actiones saluberrimas uteri instituit, quas dolores vocamus. Accidit vero interdum, ut affectiones morbosae istas actiones turbent, maximamque perniciem vel periculum summum et matri et infanti afferant. Apparet enim ex magna dolorum cum spasmis similitudine atque affinitate, si respicimus praeterea mulierum praeclaram sensibilitatem et proclivitatem ad morbos nervosos, quae graviditate progrediente magis magisque augentur, turbationibus diversissimis dolores illos provehi posse ad spasmos veros eosque perniciosissimos. Est autem haec dolorum gravissima turbatio spastica a Sauvages nomine eclamspiae insignita et singularis morbus judicata. De qua quum dissertationem conscribere mihi sit propositum, afferam paucis verbis, quae et in celeberrimorum auctorum scriptis consignata reperi, et ex duarum mulierum eclampticarum cura, cui interfui, ipse observavi et computavi.

Animum primum vertenti ad morbi naturam principale quasi momentum et essentiale pronunciandum mihi videtur, eclampsiam, quae est insignis convulsionibus vehementissimis cum sensuum obscuratione, dolorum esse

supra normam provectorum et a naturae regulis aberrantium actionem. Maxime igitur repudiandum videtur virorum doctissimorum judicium, qui confundunt omnino spasmos hoc in morbo ortos cum epilepsia, neque aliud quidquam esse eclampsiam volunt quam epilepsiam acutam sive inflammatoriam; qua vel viri affici possint. Quamvis enim negare non liceat, singulos eclampsiae impetus esse re vera epilepticos, multa tamen phaenomena essentialia morbi probant sententiam, hosce insultus epilepticos esse dolores morbo alienatos. Epilepsia enim morbus est spasticus, qui originem ducit ex perpetua centri nervosi irritatione, aut morbo organico cerebri ipsius, neque unquam tam celeriter finitur sive morte sive valetudine restituta, quam eclampsia, quae sympathica causa praeterlabente et contra cerebrum et medullam spinalem reagente gignitur. Et si quo modo fieri posset, ut partu mutationes illae cerebri efficerentur, quae epilepsiam procreant, certe mutationes longius perstarent, et femina antea libera convulsionibus postea laboraret epilepsia. Haud minus deinde acutissimi et quasi rhythmice intrantes convulsionum paroxysmi, satis fere dolorum in partu regulari correspondentes decursui, naturam mere epilepticam reprobant. Certissime vero natura dolorum, qui ad spasmos evecti sunt, apparet ex uteri mutationibus, quae omnibus fere in casibus a viris naturam sedule ac fideliter observantibus (Schmidt, Tilling, Capuron) sunt animadversae. Portio vaginalis enim uteri et orificium uterinum singulis convulsionibus, sicut singulis doloribus magis magisque dilatatur et explanatur, dum fundus uteri summopere contrahitur. Sed dolorum irradiatione illa, quae est omnibus naturae regulis ad partum edendum interdum contraria, fieri potest,

ut effectus uteri mutandi impediantur, immo in singulo impetu orificium uteri coarctetur abnormi illo dolorum decursu, et finito demum paroxysmo priorem circuitum reparet. Hac ex abnormitate nonnulli artis obstetriciae ministri judicium sibi paravere, uteri actiones inter paroxysmos desinere et in intervallis solum continuari. At minime haec sententia probanda videatur, si respicere velis multos casus enarratos, in quibus fructus, eclampsia simul cum partu incipiente, tanquam ejaculatus est, uteri orificio convulsionibus satis dilatato. Nisi summo in periculo versarentur et mater et infans, et si soli naturae auxilium permittere liceret, plerisque in casibus partus a natura perficeretur, quamvis contra concedere debeamus, interdum impedimenta insuperabilia et musculorum et uteri contractionibus expellendo partui opponi.

Si quidem judicium facimus, convulsionibus, quas eclampsiam vocamus, dolorum actionem exhiberi; si judicamus illos insultus epilepticos esse dolores alienatos et morbose accensos, unum tantum eclampsiae genus adhuc videatur statuendum, eclampsia ex partu. Divisio morbi igitur sola facienda est ex stadiis, quae sunt in graviditatis processu percurrenda; itaque tres species vel potius partes aut stadia eclampsiae suppetunt: eclampsia gravidarum, parturientium, puerperarum. Qamvis haecce morbi divisio tempus solum, quo oritur eclampsia, respiciat, tamen aliam probare non possum, quam maxime consentiens cum obstetrice illa celeberrina La Chapelle, quae convulsiones graviditatis, partus et puerperii ab epilepsia, catalepsia, apoplexia, hysteria et tetano alienas esse contendit.

Dewees multique alii genus epilepticum et apoplecticum et hystericum statuere, quae genera minime

sunt congrua cum morbi natura. Nam symptomata epileptica fere nunquam non desiderantur in eclampsia, apoplexia dein saepius imminet et in exitu observatur, sed nullo modo singulare quiddam alicujus speciei duci potest. Quod pertinet ad genus hystericum, maxime errasse videntur auctores, confundentes hasce convulsiones leviores cum eclampsia, a qua summopere sunt segregandae cauteque dignoscendae. — Utrum spasmi sint clonici, an tonici vel tetanici, ad divisionem nihil interest, quare hisce symptomatibus derivatae differentiae eclampsiae tetanicae et convulsivae reprobandae videntur. —

De eclampsiae frequentia alii auctores alias sententias habent. Merriman putat, inter quingentos partus esse duodecim eclampsiae casus. La Chapelle illa septem et sexaginta inter octo et triginta millia, Gaitskell solum unum inter quadragintos. Frequentissima in partu sine dubio est, ante sextum mensem rarissima, et post partum multo minus est frequens. Mauriceau casus septem in graviditate, undeviginti in partu et duodecim post partum spectavit; Merriman septem et viginti in partu et sex in puerperio; Velpeau septem ante partum, quindecim inter eundem et novem postea. Ramsbotham eandem fere sententiam habet, et plurimos casus ultima hebdomade, aut partu ineunte, priusquam plane apertum sit orificium uteri, inveniri putat.

Causae.

Dolorum aberrantium causae minime patent, nam quotcunque sint observatae causae, nullo modo sufficiunt ad declarandam tam vehementis ac periculosi morbi originem. Enarrabo igitur, quas relatas et collectas inveni

causas et praedisponentes et occasionales, prorsus abstinens ab ulla effectus declaratione et explicatione.

Quamquam eclampsia omnibus temporibus, omni aetate, et apud qualiscunque ordinis mulieres reperitur, validae, robustae feminae, firmis et rigidis musculis praeditae et plethorico habitu, aut e contrario tenerae, nervosae, irritabiles maxime dispositae videntur. Deinde primiparae, inprimis quae aetate provectiores conceperint, majorem inclinationem habent, quam multiparae. Ita Merriman numeravit inter quadraginta octo eclampsia laborantes triginta sex primiparas; Champion reperit in cura decem eclampticarum nullam multiparam. Ramsbotham convulsiones tempestate calida, quam frigida, praecipue tempore, quo aër electricitate impletus sit, frequentius inveniri censet, aestatis igitur in fine et vere, calidissimis diebus apparentibus, cujus rei Andral quoque et Denman mentionem faciunt. Nonnulli eclampsiam in urbibus frequentiorem quam ruri esse contendunt sine ulla ratione probante. Spasmi, quos ante graviditatem perpetiebantur mulieres, et hysterici et epileptici minus, quam putemus, habendi sunt causae praedisponentes ad eclampsiam; nam paroxysmos temporibus prius usitatis, nisi durante graviditate, quod saepissime evenit, omnino desierint, ejus progressum non perturbantes nasci posse experientia nos docuit. Exceptis autem his universalibus causis praedisponentibus sunt etiam speciales quaedam, quas secundum tempora originis dividere possumus.

Inter graviditatem cessatio mensium, nonnunquam etiam eorum molimina, quibus hoc in tempore nonnullae feminae laborant, aucta uteri vitalitas, major ejus ambitus, in pelvis et magna vasa et truncos nervorum,

in ventriculum, diaphragma etiam in pulmones et cor pressus.

Inter partum vix causas praedisponentes conspicere liceat in nimia uteri sensibilitate aut rigiditate, nimio liquore amnii, geminis, perversa proportione ac positione foetus aut ejus morte. Huc accedunt impedimenta, quae partum retardant, veluti tumores varii generis, qui pelvem coarctant, polypi aliique uteri morbi, ut atresia vaginae vel uteri, cetera.

Post partum subito ratio, qua organa abdominis inter se cohaerent, omnino mutata est; aorta abdominalis non amplius utero premitur, circulatio ergo liberior. Uterus, in quo paulo ante omnium organorum maxima vitalitas observabatur ad minorem vitalitatem, quam in statu habet integro, sensim redit; cerebri, medullae spinalis systemata post partum diu consueta irritatione sunt soluta.

De causa proxima morbi nihil aliud perspicere aut divinare possumus, nisi eam proficisci ex irritatione vel perturbatione systematis nervosi organorum sexualium cum musculorum contractione superante. Si qui recentiore tempore contenderunt, eclampsiam non esse morbum nervorum affectione ortum, sed dolorum aberrationem nasci vasorum irritatione primaria et causam proximam praecipue inesse in aucta sanguinis venositate, quae graviditate inprimis efficiatur, non possumus non plane ab iis dissentire. Quaeritur enim, cur eclampsia inprimis juniores feminas constitutione irritabili et sanguinea praeditas in prima graviditate aggrediatur; cur rarius tantum hic morbus conspiciatur neque quotidie; cur sanguis ex vena gravidarum missus non venosam, sed potius mere inflammatoriam quasi naturam probet. At nihil sane conducunt explicandae morbi pathogenesi disputationes theo-

reticae, dummodo principalem naturam convulsionum dolorificam respicimus, qua simul docemur originem morbi in medulla spinali esse, cerebrum vero sympathice tantum affici, nec minus vasorum irritationem et congestiones secundarie oriri.

Momenta morbi illius occasionalia ab auctoribus multa, quorum quidem vis in concitandis convulsionibus non satis demonstrari potest, sunt nominata. La Motte aliique distentionem vesicae et recti commemorant. Animi affectus quum in universum, tum qui eum deprimunt, sicut angor miseriae, terror; dein sordes gastricae, indigestiones, ciborum crudorum usus, irritatio ventriculi intestinorumque (verbi causa vermibus effecta) impurus aër, calor, insomnia, aliaque vulgo afferuntur causae occasionales; attamen hae minime sufficientes videntur, praesertim quum eclampsiam saepissime sine ulla causa memorabili erumpentem videamus.

Docet haec causarum enumeratio, genesin morbi nos valde latere, nam qualemcunque procreatae eclampsiae theoriam statuimus, deficiente omne exactae indagationis ratione originem dilucidius cognoscere non licet, praesertim quum ipsorum dolorum processus maximam partem nobis ignotus sit. Nam supposita systematis nervosi dissonantia, praeponderans sanguinis venositas, aut aliae ejus qualitatis mutationes, partus actione perturbata circulatio, rigiditas uteri, alia nihil proficiunt ad causas morbi illustrandas. Principium eclampsiae insitum actionibus propellendi foetus, processibus dynamicis ad perficiendum partum, et impeditae dolorum perfectioni. Supposita quidem dolorum in cerebrum metastasis nihil sane explicat aut declarat.

Symptomata.

Prodromorum stadium rarissime convulsionum eruptionem praecedere solet. Si obvenit, haec symptomatum series exhibetur: calor dolorque capitis, confusio cogitationum, hallucinationes, mobilitas tarda, rubor faciei, ejus atque colli tumor tenuis, pulsus irregularis, pressus tractusque, ut his verbis utamur, sensus dorsi tenus, vomitus, sensus oppressionis et doloris in regione epigastria et hypogastria, leves spastici musculorum motus sive artuum singulorum rigor, aurium susurrus, stupidus adspectus, photopsia, scotomata sunt molestiae, quae brevi vel multo ante apparent et manent. Loco doloris capitis una in spinae parte fixus et perpetuus dolor apparere potest, quo quidem dolore haec sola pars afficitur. Quo longius vel brevius capitis dolor antecedit paroxysmum, eo minor vel major morbi malignitas fieri dicitur, quod quidem experientia Denman aliorumque probatum est, qui quo prius impetus dolorem capitis sequeretur, eo tristiorem exitum observabant. Aura nunquam antecedit morbum, quod fit in epilepsia. Velpeau pressum quendam, pondus, dolorem modo brevi, modo multo tempore, antequam paroxysmus accideret, sentiri saepe observavit. Quod si accideret, uterus saepe tonice contractus et tactionum impatientissimus atque maxime sensibilis erat. Interdum eruptionem convulsionum horripilatio antecedit, Inter prodromos illud quoque oedema extremitatum inferiorum inserendum est, quod ab Hamilton, Burns, La Chapelle, Osiander saepius observatum est in feminis, quae in eclampsiam incidebant. Denny de illo symptomate ait: non oritur hocce oedema ut istud in ex-

tremis graviditatis mensibus normale nec insuetum oedema pedum compressione uteri magis magisque expansi in venas iliacas, sed plethora quadam, multisque in casibus prodromus convulsionum haberi potest. Eodem loco hoc oedema habendum est ac commemoratus ille tumor faciei aliarumque corporis partium.

Nuperrime mihi occasio facta est mulieris observandae, quae omnes eclampsiae prodromos exhibebat, et maturato partu ab eclampsiae eruptione servata est. Doloribus vehementissimis praecedentibus subito uteri actio desiit, facies rubrum colorem ostendebat, mentis obscuratio incepit, verba incomposita edebantur, manus extendebantur et rem capere studebant, oculi stupebant, ne multa signa omnia imminentis eclampsiae conspiciebantur. Causa hoc in casu habenda erat partus alterius feminae in eodem cubiculo, quae minus vexata doloribus celerius enixa est partum.

Saepius autem sine ullis prodromis quasi uno ictu et momento convulsiones prorumpunt, animique conscientia perditur. Facies, collum rubescunt, lividum colorem ostendunt. Carotides, arteriae temporales pulsant vehementer, venae jugulares intumescunt. Artus curvantur, extenduntur, celerrime rursum contrahuntur. Totum corpus modo rigidum et immobile, ad dorsum vel latus flexum, modo convulsionibus vehementissimis et commotionibus jactatum vix retineri potest. Manus plangunt pectora, epigastrium. Visus spastice distorquetur, oculi flagrant, pupilla plerumque dilatata est. Pulsus plenus atque frequens, mox fit celer et parvus. Os huc aut illuc distortum atque plenum aquae spumeae est, quae quidem longe exspuitur; lingua ex ore ejicitur graviterque a stridentibus dentibus laeditur. Aegrota ve-

hementer nauseat, urinam et faeces inscia et involuntaria edit. Respiratio accelerata initio et difficilis. Sonitus aëre per dentes arcte compressos tracto editur veluti felis gemitus (Denman). E diaphragmate celeriter contracto nascitur singultus atque periculum suffocationis. Frigidum et lentum sudorem corpus totum dat; atque paroxysmus sensim, raro tantum subito omninoque ab aegrota decedit. Vultus lividum colorem amittit, musculi singuli tantum intervallis excitantur, plerumque autem aegrota adhuc est comatodes, et respiratio stertorosa et anhela, raro liberior auditur, pulsus paululo distinctior atque minus frequens numeratur. Aegrotae multas jactationes in lecto faciunt et miserabile edunt suspirium. Rarissimae intermissionis tempore paululum mentis compotes fiunt, et circumstantes recognoscere videntur, plurimae vero inde ab primo convulsionum impetu ad morbi finem etiam in paroxysmorum intermissione mente captae et soporose prostratae jacent. Quando multa opera in tempus jam magis sui compos aegrota reddita est, accusat plerumque graves capitis dolores, sed non reminiscitur, quae sibi ipsi contigerint. Hic remissionis status propinquorum curam animique angorem levat, eosque spe implet fore, ut mater servetur infanti; sed vana illa spes. Si primus impetus non enecuit, longiore vel breviore tempore intermisso, cum redeunte dolore repetitur paroxysmus. Plerumque fiunt plures impetus, convulsiones excipiunt convulsiones gradatim vehementiores, ita ut neque tempus reditus neque finem divinare possimus. Novum impetum insigni pulsus tarditate indicari Merriman, Velpeau aliique judicant; tum maxillam inferiorem aegrota saepius movet, palpebras vehementer aperit et claudit, oculos feroces cir-

cumjicit, caput flectit et extendit, et mox omnia dirae illius scenae symptomata vehementissima denuo florent. Quoque novo impetu tam matris quam infantis vitam magis periclitari, satis apparet; at paroxysmorum numerum, quo aegrotam interfici necesse sit, destinare haud licet, mors enim et primo impetu adduci, vita vero vel quindecim insultus superare potest. — Uterus inter paroxysmum spastice sicut dolore intrante contractus aperit plerumque orificium magis magisque.

Singuli impetus, et ad vehementiam et ad tempus valde varii, vel quinque minutas, vel horam unam vel etiam complures horas explere possunt. Romberg mentionem facit paroxysmi per nychthemeron protracti. Ut in his longioribus paroxysmis dolorum naturam recognoscamus, judicandum est, dolores illos alienatos esse subintrantes factos, quod etiam in partu regulari minore quidem gradu conspicere licet. Vehementia paroxysmorum vel major vel minor aequalis habenda est dolorum actioni vel fortiori vel debiliori, quod maxime perspicuum est in tribus morbi stadiis, ita ut ante partum vehementiores videantur impetus quam postea. Capuron optime exponit gravidarum eclampsiam, praecipue qua abortus vel potius partus praematurus edatur, esse gravissimam, quod certe morbi naturae videatur consentaneum. Nam in absolvendo partu immaturo uterus nondum dispositus et praeparatus est, ad eliminandum fructum, sed collum ejus et crassum et durum, neque explanatum, neque apertum gravius est impedimentum egredienti partui, quam molle, tenue, paululum apertum acque applanatum parturientis justo tempore mulieris.

Diagnosis et Prognosis.

De eclampsiae et epilepsiae differentiis supra jam morbi naturam exponens verba feci; itaque sufficiat hoc loco in memoriam revocare: eclampsiam aut partum provocare, aut cum partu demum prorumpere, epilepsiam vero inter graviditatem, si non omnino cesserit, post mensem quintum aut sextum rarissime accidere, neque unquam partum praemature elicere. Deinde epilepsiam non uno quasi impetu finiri, sed, ubi apparuerit, per totam vitam durare et fere semper esse insanabilem. Uteri denique mutationes eclampsiae paroxysmis procreatas nos ab omni diagnosis errore et confusione utriusque morbi servare. Etiam minus timendum est, ne cum altera dolorum aberratione, cum catalepsia permutemus eclampsiam in ipso impetu, nam loco convulsionum permagnam totius corporis lassitudinem et flexibilitatem artuum ceream conspicimus, etsi utriusque morbi prodromi magnam symptomatum similitudinem prae se ferre dicuntur. (Permissum mihi sit, quaestionem proponere, num foetus iisdem in eclampsia convulsionibus agitetur simul ac mater, quum constet in catalepsia eum sequi positiones a matre factas.) Majoris momenti, quia curam constituit, diagnosis est convulsionum ex hysteria, aut ex sanguinis exinanitione ortarum ab eclampsia. Convulsionibus hystericis laborant plerumque feminae tenerae et nervosae, quae et alias hystericis moliminibus vexantur seriorihus autem graviditatis spatiis liberae abi iis sunt. Prodromi hystericam exhibent naturam, ut globum aut clavum hystericum et paroxysmi breves sunt, spumam oris non efficiunt, sine oris colore livido,

neque sui conscientiam et sensibilitatem omnino exstinguunt. Impetus finitur lacrymis proruentibus, singultu, gemitu, ructibus, neque comate et respiratione stertorosa. Pulsus nullo modo est irregularis, plenus et durus, sed mollis ut in lipothymiis. Nunquam provocant partum et, si quando inter partum nascuntur, eum neque turbant neque impediunt, nam finito impetu partus ad finem usque procedit absque omni artis ope. In summum vero periculum vocari possit femina convulsionibus agitata, si convulsiones exinanitione ortas judicemus eclampsiam. Non possum, quin nonnullorum auctorum improbem levitatem, qui hac de re verba faciunt, quum convulsiones ex exinanitione, quod quidem saepe accidit, certissimum mortis signum ducant, et mutationem morborum eam ob causam negent, quod sanguinis jactura facillime conspici possit. Si quidem sanguinis effusiones externae neque occultae sunt, error dignoscendae convulsionum naturae non est timendus, in haemorrhagia interna vero praecautio quaedam non prorsus est rejicienda. Observatione quidem diligentiore calor maxime minutus totius corporis et extremitatum, pulsus maxime debilis et vacuus, dein impetus convulsionum lipothymiis finiti facili negotio nos docebunt convulsionum naturam, etiamsi partus actionibus quasi species congestionis sit effecta.

Prognosis infausta plerisque in casibus pronuntianda est. Dimidia fere pars aegrotantium mortem subit et ubi matris vita servatur, infans rarissime mortem effugit. Falso autem nonnulli contendunt, infantis etiam partu celeriter enixi vitam nunquam servari posse, et venenatam quasi sanguinis placentarii naturam supponunt, qua vita foetus laedatur. Plerisque sane in casibus infans, antequam a matre sejunctus est, dum expellitur, con-

tractionibus et convulsionibus musculorum vehementissimis interficitur, at minime semper moritur. (Neque omittenda est observatio Cel. Schmidt, post partum editum, fructum saepius necari femoribus matris, summa et quasi inimica vi infantem amplectentibus et comprimentibus. Narrat tria exempla, in quibus obstetricum negligentia infantes vivi enixi a matre in paroxysmo redeunte interficiebantur. Summo humanitatis amore ductus animum vertis ad leges, quae hunc parturientium statum minime respiciunt, quamquam minime imputabiles ducendae sunt mulieres eclampsia laborantes.) Nec quemquam fugit, novo quoque impetu et matris et infantis vitam majus in periculum vocari. Itaque ex doloritica convulsionum natura apparet, initium paroxysmorum primis partus stadiis, aut ante graviditatis finem, periculosius quam ultimis periodis esse, et gravidas majori quam parturientes et puerperas in periculo versari. Praeterea impetus inter partum accidentes et quasi subintrantes et longiores intervallis brevibus et symptomatibus vehementissimis maxime sunt timendi, quod jam partu normali docemur. Congestiones capitis et pulmonum, altus sopor finito paroxysmo, respiratio valde stertorosa signa infaustissima sunt habenda. Si vero partus sine gravioribus matris insultationibus celeriter ac feliciter ad finem perductus est cum signorum vehementia paululum cessante, prognosis magis vergit ad bonum, non minus quam in paroxysmis serioribus eclampsiae a parturientibus in puerperas transeuntis.

Decursus et Exitus.

Eclampsia inserenda est morbis acutissimis. Nisi brevissimo tempore remedia adhibita efficiunt phaenome-

norum remissionem et cessationem, mox anima destitutum corpus conspicimus. Si finitur morbus valetudine, finito partu saepius convulsiones uno quasi ictu subito desinunt, aut impetus singuli et rariores et breviores fiunt et leniores, sicut dolores post partum quasi explanantur et evanescunt. Uterus statum normalem recuperat, lochia profluere incipiunt. At impetus demum simul cum doloribus secundis interdum cessare, natura nos docet. Jam vero incipiunt aegrotae intervallis longioribus vehementer vocatae et interrogatae quaedam signa edere, se percipere aliquantulum res externas, at recidunt mox in apathiam et soporem. Audiuntur verba intersecta et difficilia intellectu propter gravem linguae laesionem. Postquam aliquamdiu post paroxysmorum finem comatosae sese jactavere in lectis feminae, excipiuntur denique critico quodam et salutari somno ad horas quatuor et viginti prolato, ex quo plane mentis compotes et sanatae expergiscuntur. Rerum autem antea actarum et partus perfecti omnino nullam recordationem habent, et sensim tantum cogitationi adsuescunt, matres se esse factas. Pulsus dormientium calmatur, sudor critricus et urina valetudinem indicant recuperatam, at longius per tempus magna corporis debilitas et lassitudo remanet. Status hic per complures dies vel protrahitur, ita ut quarto vel quinto demum die post partum sana et servata habenda sit aegrota.

Si ad exitum lethalem properat morbus, impetus vehementia et spatio crescunt, cerebri stupor augetur, coma augetur ad summum, et breviore vel longiore tempore post mors finit aegrotantis vitam. Exitus infaustus autem efficitur saepissime, mea quidem ex sententia, aut paralysi cerebri et exhausta centri nervosi vi, aut apo-

plexia sanguinea; nec suffocatio pulmonibus orta et pulmonum cordisque paralysis prorsus sunt rejiciendae mortis causae. Uteri rupturam tristem exitum sequi nemo negabit.

Inter morbos secundarios haemorrhagia cerebri periculosissima est, non minus quam exhaustio quaedam nervorum eaque adducta impotentia cerebri in organa alia reagendi. Deinde vero mania puerperalis, paralysis linguae et singulorum artuum, jactura memoriae, cephalalgia vehementissima, sensuum turbationes, rupturae internae valetudinis recuperationem longius aut brevius impediunt. Obstetrix illa La Chapelle aliique auctores multas post eclampsiam peritonitide confectas esse narrant. Bretscher typhoso quodam morbo continuari eclampsiam observavit. Altero casu, quem ipse vidi, incidebat aegrota post eclampsiam in febrem typhosam, quam morbum secundarium habere valde dubito.

Sectio.

Cadaverum sectio minime mutationes vehementiae morbi congruas ostendit, ut plurimum in affectionibus ex nervis ortis: Et quae inventa sunt, in nulla fere sectionis narratione consentiunt. Romberg extravasatum sanguineum in basi encephali post mortem vidit. Denmann nunquam sanguinem in cerebrum evasisse, quamvis vasis admodum turgidis, narrat; cor tamen valde relaxatum et sanguinis particulum neque in ventriculis neque in atriis fere semper invenit. Nonnunquam etiam hepatisationem pallidumque colorem pulmonum, atque in membranis serosis seri flavi seu subrubri uncias vidit nonnullas. Plerumque nihil, quod a regula dissideat, reperitur. De statu

medullae spinalis observationes adhuc desunt, neque sperandum magnopere fore, ut in ea signa majoris momenti aut mutationes primariae inveniantur, antequam interiores perspicere possimus nervorum mutationes. Uterus aliaque organa affinia nulla pathognostica signa praebent. Peracto antea partu vestigia quaedam abdominis inflammati conspiciuntur. Metritis rarissime invenitur, quam ob rem prorsus in errorem abducti videntur auctores, qui hoc morbo saepissime effici eclampsiam contendunt. Rhexim uteri facillime et saepissime ex eclampsia originem ducere, **Velpeau** memorat.

Cura.

Indicationem prophylacticam rarissimis in casibus exsequi possumus, tum quod morbus saepissime sine ullo signo praegresso cum vehementia summa oritur, tum quod res nocentes maximam partem nos latent, quarum remotione initium convulsionum impedire possimus. Cura prophylactica initium capit prodromis apparentibus, aut si mulier, quae antea jam eclampsia laboravit, denuo concepit. At quid faciamus, quo remedio utamur ad convulsionum impetus tute prohibendos? Minime constat, an sanguinis detractiones haud serius factae valeant ad eclampsiam depellendam. Si mulier est plethorica, venaesectio instituatur, ne congestio ad cerebrum inter parturiendum ascendat, aut hirundines ad frontem vel tempora applicentur, saepius laxantia aut clysmata adhibeantur. Omnino vero huic indicationi satisfacimus cura diaetetica et psychica et physica, quae cuique gravidae observanda est. Suadendum igitur est feminae, quae eclampsiam fugit, ut multum sub divo ambulet, diaeta parca, frugali et vegetabili utatur, ab omnibus incitantibus sese abstineat cibis,

et praecipue caveat, ne ventrem cibis obruat. Neque minus removendae sunt et arcendae excitationes psychicae, quae saepissime inter causas eclampsiam indicantes commemorantur.

Minime vero consentiendum videtur cum illis, qui ad rectificandos dolores, ad prohibendam eorum aberrationem, aut ad partum ante convulsionum initium finiendum commendant Secale cornutum. Nam ut omittam vim hujus remedii nocentem infanti, incertum est, num auctis doloribus convulsionum vehementia non magis incendatur, seminaque latentia et quasi dormientia eclampsiae hoc remedio non maturentur et eliciantur.

Silentio praeterire observationes a Capuron factas non possum, qui sanguinis detractiones tam universales quam locales justo tempore (quando autem hoc est?) institutas et balneis emollientibus adjutas remedium esse efficacissimum ad avertendas convulsiones observavit. Venaesectione enim impediri vasorum cerebralium oppletionem simulque effici derivationem a capite, relaxantibus balneis removeri telarum omnium laxatione erethismum, tolli spasmum et irritationem colli et corporis uterini, prohiberi nimiam organorum sexualium reactionem in systema innervationis. Altera parte igitur venaesectio impedit, quominus cerebrum propellendi partus torpeat conamine, quod ab utero provocatur, servatque ei facultatem gradatim augendi uteri vim; altera parte balnea laxantia diminuunt resistentiam nimiam obstaculorum, quae actionibus uterinis sese opponunt. Haecce cura prophylactica omnino laudanda est, quum et experientia sit derivata, et explendae indicationi sequenti respondeat eamque quasi praeparet. Utrumque enim remedium eidem studet effectui partus maturandi.

Rarius vero fit medico explendae hujus indicationis occasio, quum prodromi aut plane defuerint, aut cum partus moliminibus confusi sint. Accessitur ad feminam spasmis tetanicis aut saepius vehementissimis convulsionibus jactatam, quae vix in lecto retineri potest; accessitur ad parturientem comatodem et soporosam, quae interrogata nullum reponsum edit et respirationem stertorosam et anhelam trahit. Ecce occasio, ubi vir eruditus et impavidus celeriter et cum energia agendo aut matrem cum fructu aut alteram solam servare potest, dum cunctator incertus utriusque vitam saepe diutius in periculo versari sinit, itaque perdit. Rejicienda hanc ob causam sunt remedia et medicamenta incerti eventus, quae aliorum experientia laudantur, aliorum reprobantur, nam tempus auxilii brevissimum exspectando effectu prave saepe perditur. Etiamsi prudenter et celerrime opem instituas, non omnes servabis matres ne dicam infantes; sed solamen medici esse debet, servatas feminas aut earum fructus ipsius opera plerumque sola morti ereptos esse.

Indicatio principalis et causalis et morbi, si respicimus convulsionum naturam ac sequimur iter a natura ostensum, ad id praecipue niti debet, ut uteri actiones quam citissime ad finem perducantur, ut removeantur ex uteri cavo res, quae denuo dolores et convulsiones excitant, ut perficiatur citissime partus. Sed requiritur plerumque, priusquam ad partus maturationem accedamus, ut vitae indicationi sufficiamus, qua simul curae partem gravissimam perficimus. Consentiunt enim fere omnium medicorum collectae observationes ea in re, curae initium fieri debere a sanguinis depletione largiore. Venaesectione enim et congestiones ad caput apoplexiam pa-

rantes minuuntur, et convulsionum vehementia, quae sthenicam exhibent naturam, plerumque lenior reddi dicitur, ita ut tempus adipiscatur medicus instituendae explorationis internae, quae summum momentum agit in curam et opem sequentem. Copia sanguinis emittendi et aegrotae habitu et vi pulsus atque ictus cordis est metienda, quare generaliter unciarum numerus non est definiendus, quamvis unciae duodecim vel octodecim prima phlebotomia depletae satis plerumque sufficiant. Quando non celeriter hyperaemiae cerebralis remissio et convulsionum observatur, pulsu duro et pleno manente, iteranda est sanguinis depletio. Certe supervacaneum est de vena disputare, quam eligamus secandam, dummodo sanguis celeriter et large emittatur, neque est, quod venam jugularem praeferre brachiali debeamus. Denny judicium fert rectissimum vituperatione enormis copiae sanguinis depleti, quae venaesectiones instituuntur et laudantur a Burns et Dewees, quum nimia sanguinis jactura item etiam majus periculum, quam ipso morbo afferri possit. Minime igitur paroxysmorum reditus habendus est indicans signum iterandae venaesectionis, nam omissa systematis sanguinei observatione facillime tanta debilitas viriumque exhaustio effici potest, ut nova convulsionum eruptio nascatur, quae in longe alia causa radices agunt ac genuino morbo procreatae. Quantam vero sanguinis jacturam natura perferre et superare possit, docemur historiis aegrotantium, quibus intra paucas horas unciae sexaginta, centum, vel centum quadraginta (Dewees) sanguinis detractae sunt. Localibus sanguinis depletionibus per hirudines et cucurbitas primis morbi stadiis prorsus carere possumus, quod hoc modo sanguis tardius effunditur et plerumque earum applicatio multis difficultatibus conjuncta est. Sanguis cru-

stam inflammatoriam semper parat, quotiescumque venaesectio repetita est. Eodem consilio ad leniores reddendos impetus congestionesque minuendas fomentationes frigidissimae sunt capiti vel hypogastrio imponendae, et superfusiones instituendae, ut multi volunt auctores, Merriman, Schmidt, Wolff, Schoenlein, La Chapelle. Num balneis tepidis et emollientibus, convulsionibus jam ortis, locum concedere possimus, contra experientiam Capuron non decernere audeo, attamen minus apte, quam in prodromorum stadio, ea in usum vocari post eclampsiae initium putem, nam verendum est, ne congestiones ad caput augeantur, ne nimium temporis absorbeatur, quamvis saluberrima balneorum vis ad partum maturandum et spasmos mitigandos negari non possit. Remedia derivantia abundanter in hoc morbo vocantur in usum, et fere nulla totius ordinis desiderantur. Innoxiae neque efficaces cucurbitae siccae, sinapismi, qui quidem ne per nimis longum tempus inhaereant, cavendum est, etiamsi cutis ad eorum stimulum torpere videatur; dein emplastra vesicatoria, quae fortasse aliquantum effectum edunt, collocantur in suris et femoribus, in regione epigastria, si aegrota vomitu laborat, atque ad partus laborem properandum in hypogastrio applicari possunt. Ad derivationem a capite adjuvandam commendata sunt a plerisque medicis enemata irritantia cum remediis antispasticis conjuncta. At haud multum valebunt haecce remedia ad sedandos paroxysmos propter nimium totius corporis torporem et insensibilitatem. Minorem etiam remedia interna exhibebunt efficacitatem, quoad partus nondum finitus est, et dolores redeuntes impetum convulsionum denuo efficiunt. Omitto difficultatem immitendi medicamenta, quum haud raro et tris-

mus os plane claudat, deglutitionemque impediat, et vomitus consensualiter ortus hausta statim rejiciat. Medicaminum purgativorum, ut Calomelanos, Infusi Rhei cum Rad. Jalapae, et vel emeticorum usus fit, nec remedia sopientia omittuntur, ut Aqua florum Aurantii, Naphthae, Acidum hydrocyanicum, dein antispastica, ut Valeriana, Asa foetida, Moschus, vel Opii praeparata, quorum omnium, inprimis vero Opii usus vehementer reprobandus est, quum iis vasorum orgasmus augeatur, priusquam vis antispastica agere possit in nervos. Enumeravi medicamenta, quae laudata inveni, quamquam equidem nihil iis profici credo, solamque spem convulsionum vehementiae minuendae positurus sum in sanguinis detractionibus et epithematibus frigidis.

Attamen rarissime continget convulsionum paroxysmos hisce remediis sistere, qua de causa festinandum semper certa diagnosi constituta ad auxilium illud tutissimum levamenque optimum, quamvis remedium gravissimum, ad finiendum quam celerrime partum, quo finito causae praecipuae auferuntur. Discrimen illud ex morborum variorum confusione ortum inter curam eclampsiae gravidarum et parturientium, quarum altera nondum finita graviditate, altera partu jam incipiente oritur, probandum non est, serioribus enim morbi stadiis evanescunt differentiae, et gravidarum eclampsia transit seu mutatur in parturientium convulsiones. Eclampsia enim inter graviditatem orta abortum aut partum praematurum editura est, dum parturientes naturae studio et laboribus expellendi fructus convulsionibus corripiuntur. Minime igitur in gravidarum eclampsia cunctandum de auxilio ferendo et remedio illo adhibendo, nam raro sane sperandum fore, ut largissimis sanguinis depletionibus aut balneis

aut fomentis frigidis aliisque ejusmodi remediis dolores eclampticos sedemus et sistamus, quum jam raro eveniat, ut normales uteri actiones opprimas et sistas et fructum in utero retineas. Requirunt feminae gravidae eo celerius medici auxilium, quia in abortu aut partu praematuro edendo uterus, ut supra exposui, nondum praeparatus majora impedimenta opponit fructus expulsioni, et labores ad partum minus naturae leges sequentes per longius tempus durant, graviores et periculosiores sunt doloribus regularibus. Si igitur non celerrime remediis illis, de quibus supra verba feci, contingit, ut convulsiones et dolores sistantur, si impetus repetuntur, ut plane appareat, graviditatem ab aegrotante perferri non posse, si inter convulsiones actio parturiens perspicua est, quid est, quod nos arceat a partu praematuro artificiali, antequam inanibus conaminibus institutis aegrotam virium exhaustione perire sinamus. Nullum sane certius adjumentum ad convulsiones removendas nobis suppeditatum est, quam uteri evacuatio, unde illam pro gradu periculi accelerare, optima agendi ratio mihi videtur. Locum quendam primo morbi stadio concedendum putem spongiae Infuso Rad. Belladonnae imbutae et in vaginam immissae, aut unguento Belladonnae, quod Chaussier ex Extrct. Belladonnae ʒjj cum Axungiae porci ℥j paratum ope siphunculi in uteri orificium (nucis magnitudine) ingerit, ad primam uteri aperturam juvandam spasmumque ejus tollendum. Si vero hac re non opus erat, aut serius ac tardius effectus conspicitur, lege artis partum praematurum artificialem suscipiamus et quod Gallici vocant „accouchement forcé" perficiamus. Digitis conice compositis sensim ac summa diligentia et praecautione uteri orificium satis dilatetur, velamenta rumpantur, fructus ex-

trahatur. Quamvis minime alias turbationem aut violationem partus probem, exspectationem et cunctationem maxime laudem, tamen non possum dissentire ab illis auctoribus, qui his in casibus ad partum artificialem accedere dubitant.

Convulsiones gravidarum eclampticas sequitur parturientium eclampsia, quae quasi prorogatum dolorum aberrantium stadium ad graviditatis finem habenda est. Jamquidem auxilium latius patet ferendum et a medico libentius fertur. Sententiae partui artificiali praematuro inimicissimae non differunt amplius de fructu a natura non celeriter enixo et ejaculato quam citissime arte removendo. Sequendae sunt hoc in negotio leges artis obstetriciae sancitas, et fructus aut forcipe aut versione eliminetur. Convulsionibus remotis aliquantulum orificii uterini apertionem naturae possumus permittere; si vero paroxysmi redeunt, arte est dilatandum modo lenissimo incruento, quamvis operatio cruenta, ut illa La Chapelle contendit, per se minime sit periculosa. Deinde si caput in alto est, neque demanavit liquor amnii, non dubitare debemus, versionis negotium suscipere, si vero caput est in profundo atque forcipe comprehendi potest, sine dubio hac via partum finire nos oportet. Satis apparet phaenomenis tam gravibus difficillimas saepe complicationes posse gigni, inter quas praecipue est commemorandus casus, ubi liquor amnii demanavit, uterus circa fructus partes vehementer se contraxit, easque quasi incarcerat, et caput forcipe haud comprehendi potest. Nihil tunc aliud restat, quum inde uteri ruptura facillime fieri possit, quam ut summa diligentia et cautione ad versionem difficillimam symptomatibus quam maxime sedatis accedamus. Nam proposita a multis Lucinae ministris per-

foratio cranii aut embryotomia, si alio modo partus non satis celeriter possit finiri, quia infantes plurimum mortuos in eclampsia produci censent, prorsus est rejicienda et detestanda. Nulla certe alia ratione has operationes instituere licet, nisi fructus mors certissimis antea collectis signis constet, et si neque caput forcipe comprehendi possit, neque ullam videamus morbi remissionem. Ubi irregularis structura pelvis, quod rarissime in eclampsia accidit, impedimento est, quominus partus finiatur, ut alias sectio caesarea semper est facienda. Matre jam confecta foetus adhuc vivus hanc operationem imperat sine mora exsequendam, quia vita ejus, si omnino ille vivere potest, quod negant prorsus nonnulli, citissime cedit.

Finito partu remotaque illa causa morbi gravissima animus vertendus est ad uteri conditionem. Placenta, quae haud raro utero incarceratur, sanguinis coagula diligentissime sunt auferenda, haemorrhagia quaelibet parva plane supprimenda, quum inde summum periculum aegrotae oriri possit. Si uterus recuperavit formam normalem, convulsiones nunc interdum tam subito desinunt quam apparuere, et aegrota post somnum quietum eundemque criticum sana expergiscitur. Plerumque uterus post partum retinet rigiditatem et extensionem abnormem, ita ut supra symphysim ossium pubis globi aut cylindri forma corpus durissimum attrectari possit. Paroxysmi paululum mitiores et longioribus intervallis revertuntur, itaque morbus tertium stadium ingressus est, quod eclampsiam puerperarum vocamus. At non opus est morbum superato priore stadio demum post partum oriri; nemo enim negabit dolorum alienationem etiam post partum effici posse. Hoc quidem in stadio reme-

dia plurimum valebant incitamento illo novarum convulsionum sublato lenioribusque redditis paroxysmis, quare locus eorum adhibendorum late patet. Ut primum de sanguinis detractionibus pauca disseram, venaesectionis necessitas pulsu, congestionibus ad caput pergentibus, conditione universa destinari debet. Pulsu adhuc pleno, duro, tenso non dubitandum, quin hoc stadio sanguis sit deplendus, praesertim orta demum post partum eclampsia. At virorum omnium consensus de sanguinis detractionum utilitate desideratur quam maxime in observationibus de medicamentorum effectu et utilitate. Secundum judicium de eclampsia latum, quo morbus aut mere inflammatorius, aut magis spasticus habetur, duas postissimum curae methodos vel antiphlogisticam vel antispasmodicam exsecuti sunt medici. Mihi quidem ex convulsionum natura, quum dolores sint maxime affines spasmis, magis consentiendum videatur cum iis, qui hoc in stadio antispasmodicam methodum probant et externe quasi irritantem, haud omissa systematis sanguinei observatione. Physiologici partus processus sane non reprobent ad regularis partus normam, partum non celerrime, sed tardissime finire ad arcendum hoc morbi stadium, quum dolores secundos eo longiores et graviores esse constet, quo celerius partus finiatur, quo parcius dolores sese quasi effundant. Optimum igitur remedium eclampsiae parturientium non in properato, sed in perfecto naturae actionibus partu inesse deberet, quod vel a nonnullis propositum est medicis, nisi momenta antea exposita hanc agendi rationem prorsus reprobarent.

Enumerabo jam, quae maxime ab auctoribus praescripta sunt remedia contra eclampsiam, et addam curae hystoriam, quae et eventu celerrimo et auctore Schoen-

lein magnopere probanda mihi videatur. Opium omnium medicamentorum summas dissensiones provocavit, dum Manning, Bland, alii laudibus efferunt Opiata, Hamilton, Merriman, Dewees omnino ea repudiant. Datum est quovis morbi stadio et ad convulsionum mitigationem atque exstinctionem et post earum cessationem. Quoad convulsiones nondum cesserint: Opii usus haud concedendus videtur, itaque indicationes a Wolff et Romberg, qui curam mere antiphlogisticam probant, expositae potius sequendae sunt, quibus ad sedandum centrum nervosum et ad somnum criticum efficiendum Opii vel potius Morphii dosis mediocris praescribitur. Opii loco Moschus porrigi potest, qui magno nervorum erethismo non minore vi sedativa gaudet. Camphora ab Hamilton et Copland, Digitalis cum Calomelane a Tiling, Tinct. Strammonii a Krueger-Hansen, Acidum hydrocyanicum a Meisner in usum vocabantur. Collins laudat magnopere Tartarum stibiatum in dosi nauseosa, cujus hanc formulam praescribit: Rp. Aquae Pulegii ℥ vjj Tartari stibiati gr. vjjj Tinct. Opii gtt. xxx Syrupi ʒjj D. S. quavis semihora cochlear majus sumatur, et successu praeclaro gavisus est. Canstatt in memoriam revocat Rad. Ipecacuanhae usum dosi gr. j quovis horae quadrante, maxime Plenkii experientia probatum. Proinde remedia derivantia, quorum supra feci mentionem, summa cum utilitate in usum vocantur, et superfusiones frigidae, et sanguinis detractiones locales, quae praecipue ad lochia suppressa, si morbi causa habenda sunt, provocanda hirudinibus ad anum et labia majora, aut cucurbitis ad femora interna applicatis instituendae sunt.

In omnibus convulsionum stadiis illi maxime nocent

aegrotantibus, qui irritatorum contractiones musculorum vi impedire velint, quum nil efficiant, nisi ut postea per multos dies adhuc acerbissimis musculorum doloribus vexentur. Quibus in rebus apte nihil fieri potest, nisi ut impediantur aegrotae, quominus se ipsae laedant vel e lecto projiciant. Ante omnia ut lingua servetur, trunculus lino circumvolutus inter dentes incisivos inductus ab adjutore quodam teneatur; os autem clausum vi aperire non licet. Positio deinde optima est in lecto semierecta, ut caput aegrotae quam maxime erectum teneatur. Semper autem est investigandum, num vesicam exoneraverit aegrota, quum ejus oppletione eclampsiam effectam esse nonnulli narrent.

Curae enarratio.

F. S. primipara, constitutione valida ac plethorica praedita, doloribus ad partum incipientibus subito convulsionibus vehementissimis corripiebatur, quae totum corpus agitabant. Partus satis gravis partim artis ope finiebatur edito inter paroxysmum infante vivo. Finito partu ad capitis congestiones minuendas venaesectio ℥xjj et epithemata frigida praescribebantur, quibus statim pro tempore spasmorum remissio effecta est; at haud multo post impetus convulsionum revertebantur, et intervallis horae quadrantis per minutas octo ad decem durabant. Quum vero hyperaemiae cerebralis et alti soporis symptomata perseverarent, superfusio frigida inter noctem instituebatur, quam aegrotae somnolentae et inquiete in lecto se jactantis levamen quoddam et convulsionum remissio sequebatur. Hora decima sequentis diei convulsiones, quamvis minus vehementes, denuo eruperunt et intermissiones longiores

fecerunt. Uterus adhuc lapideus protracti cylindri forma symphysin pubicam longe superabat, minimeque formam normalem recuperaverat. Praescribebatur Rad. Belladonnae usus variis formulis et variis modis; internum in usum: *Rp.* Aquae Laurocerasi ℥jj Extrct. Belladonnae gr. jj M. S. quavis hora guttae decem sumantur. Deinde ad clysma: *Rp.* Extrct. Belladonnae gr. jj solve in Aquae communis ℥jj, et ad injectiones in vaginam: Infusum Belladonnae. S. quavis hora alternatim cum enemate applicandae; nec minus ad fomentationes abdominis Infusum ejusdam medicaminis. Sequenti nocte haud saepe aegrota convulsionum paroxysmis agitata quietior facta minusque soporosa videbatur, et postridie hora circiter undecima ultimum morbi impetum perpessa est. Uterus duritiei eburneae expers magis sese contraxerat et ad formam normalem redactus videbatur, quam tamen nondum plane nactus erat. Itaque cura eodem modo continuabatur per nychthemeron. Aegrota etiam postero die nondum ulla intoxicationis narcoticae symptomata exhibebat propter nimium systematis nervosi in cetera organa reactionis torporem, quamvis cuilibet ostio Belladonnae praeparata illata essent. Cura postero die, postquam inter noctem quietus somnus incepit, finita est, et sanatio secretionibus lochiorum lactisque normaliter intrantibus et conscientia mox plane libera reddita spatio bidui perfecta erat judicanda, quamvis per aliquot dies debilitas permagna duraret. Belladonnae usus est imperatus propter vim quam habet dolores mitigandi et spasmos solvendi, ut hoc in casu celerrime probavit.

VITA.

Natus ego sum Ernestus Gustavus Bernardus Wahl die octavo mensis Novembris anni h. s. XXIII Bahrenhof, vico Borussiae prope Gedanum sito, patre Ernesto Guilelmo, rerum sacrarum ministro, matre Guilelma e gente Kummer, qui parentes dilectissimi ut per longum tempus incolumes mihi serventur, precor exoptoque. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis a patre imbutus, petii anno aetatis decimo tertio gymnasium Berolinense Joachimicum, quod hodieque floret directore Meineke. Maturitatis testimonio instructus mense Novembri a. MDCCCXLII civibus instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus sum. Per quadriennium hisce interfui Illustrissimorum et Celeberrimorum Virorum lectionibus:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preufs de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de pathologia generali, de historia medicinae; Ill. Link de botanice et de historia naturali; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Turte de physice et de pharmacia; Ill. Mitscherlich I. de chemia et organica et anorganica; Ill. Schlemm de osteologia, de splanchnologia, de syndesmologia; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum et comparata et pathologica, de phy-

siologia; Cel. Eck de physiologia, de therapia generali, de semiotice, de morbis contagiosis, de morborum simulationibus apud milites; Ill. Mitscherlich II. de materia medica; Ill. Horn de morbis psychicis; Ill. Schoenlein et Ill. Wagner de pathologia et therapia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Cel. Troschel de ossibus fractis et luxatis; Cel. Boehm de aciurgia; Cel. Schmidt de arte obstetricia; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Cel. Froriep de arte fascias imponendi; Exp. Bruegge de telarum penitiore textura.

Practicis exercitationibus me instituerunt Ill. Mueller et Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi; Cel. Boehm operationibus in corporibus mortuis; Exp. Angelstein operationibus ophthalmicis; Cel. Schmidt exercitationibus obstetriciis; Ill. Casper exercitationibus medicis forensibus et explorationibus in vivis et mortuis instituendis. Praeterea interfui Ill. Schoenlein et Ill. Romberg et Cel. Wolff clinicis medicis; Ill. Juengken et Ill. Dieffenbach clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis.

Quibus viris, optime de me meritis, quam possum maximas gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Ordine Medico rite superatis, fore spero, ut hac dissertatione cum thesibus adjectis palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Dolores sunt spasmi physiologici.
2. Recte Homerus: Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
3. Nutricem virginem puram esse oportet.
4. Morbus animi in corpore sano non exsistit.
5. Horatianum illud: *Naturam expellas furca, tamen usque recurret*, praesertim ad morbos sanandos est referendum.